

hæc paratam habent mercedem, virtus vero futuram tantum. Huc etiam pertinent filii Ruben et Gad, Numer. cap. XXXII. qui videntes fertilitatem terræ eis Jordanem, bello jam partæ, noluerunt trans Jordanem sortiri partem suam, quia hæc primum armis paranda erat: putabant ergo melius esse præsens quam futurum.

Sed debemus meminisse primo, nos esse Christianos, qui in duobus potissimum gloriamur, in futuris cæli bonis et in præsentibus tribulationibus. Illa nobis denarius, hæ labor diurnus sunt. Audi apostolum ad Romanos V. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus.* Hoc ergo habemus peculiare Christiani, quod non habent gentes. Ob hanc causam dicitur Ecclesia calceata hyacintho, qui cælestem refert colorem, Ezech. XVI. *Calceavi te hyacintho, id est, pedem tuum ornavi spe cæli, etc. et certe: Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiles sumus omnibus hominibus,* ait idem apostolus, II. Corinth. XV. frustra enim nos affligemus ob virtutem. Absit vero ut ita decipiatur orbis christianus.

Secundo, fluxa et transitoria non esse digna, quæ amentur a Christianis, qui excelsum habere animum debent, sublimiorem istis infimis. Non frustra vidit Joannes, Apoc. XII. Ecclesiam forma mulieris amictæ sole et lunam sub pedibus habentis. Designavit enim Ecclesiam decorari et ornari Christo sole, ejusque radiis seu bonis solidis et constantibus, quale est solis lumen; lunam vero habere sub pedibus, quia contemnit omnia bona sublunaria, tamquam fluxa et inconstantia, quale est lumen lunæ. Audi S. Gregor. lib. XXXIV. moral. c. VII. « Sancta Ecclesia, quia superni luminis splendore protegatur, quasi sole vestitur, quia vero cuncta temporalia despiciat, lunam sub pedibus premit. » Ejusmodi heros fuit Abraham, cui cum rex Sodomorum offerret partem spoliolum ejus manu partorum, respondit Abraham: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli et terræ, quod a filo sub tegminis usque ad corrigiam caligulæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditavi Abraham,* q. d. habeo Deum excelsum et ditissimum possessorem cæli et terræ, ad quem levo manum. Absit igitur, ut de rebus terrenis et vilibus istis cupiam aliquid. Sic principes et divites spernunt oblata sibi munera. Imo hæc fecere multi philosophi et gentiles, sola animi celsitudine, cum nihil in cælo sperarent. Dicat ergo Christianus cum Davide: *Quid mihi est in cælo et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei et pars mea, etc.* Psalm. LXXII.

Denique, errant toto cælo, qui putant virtuosos nulla hic frui dulcedine, uti sequente dominica dicemus.

IV. Quia multi non credunt virtutem aliquando remunerandam, vitium puniendum, vel certe non attente et assidue cum plena fide cogitant. Audi de his psalmistam, Psal. IV. *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? q. d. quis descendit ad nos de cælo, ut testaretur de illis bonis, quis ab inferis ascendit, ut testetur de eorum pœnis? Sed audi etiam respondentem: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Lumen istud ostendit nobis primo, legem naturalem, quid laude vel vituperio dignum sit, quid prosequendum, quid fugiendum, quid pulchrum, quid turpe, quid præmio, quid pœna dignum. Unde propria conscientia judicium fert in hominem ex tribunali cordis, uti David cum seipsum condemnavit: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui hoc fecit,* II. Reg. XII. et Achab, III. Reg. XX. Prædicat ergo nobis conscientia præmium vel pœnam.

Secundo, ostendit capacitatem quamdam infinitam a Deo nobis insitam, quæ non nisi summo bono potest expleri. Cum vero Deus et natura nihil faciant frustra; proinde nec appetitus iste rationalis frustra erit: ergo potest homo petere, ut Deus impleat illum.

Tertio, ostendit nobis vitam securiorem ad bene beateque vivendum eligendam esse, eamque esse virtutem et pietatem, non vitia et impietatem. Clamant hoc Scripturæ, clamant ss. patrum et omnium sapientum consensus, clamant ipsa conscientia, cui utique debebas credere; dicit enim tibi: Itane erravit Christus? Itane tot sancti? Et errant in hodiernum tot religiosi, tot sapientes? Num tu melius sapias? Quid tu falleris? Sed esto fieri posse ut decipiantur illi et ego recte sentiam: quid nocebit mihi, si illorum, non meam opinionem fuero secutus? At vero si me ipse decepero, irreparabile damnum incurram. Annon igitur consultius, sequi tutiorem partem, in dubio præsertim tanti momenti, ex quo pendet æterna felicitas et miseria? Inter duas vias, quarum unam nosti suspectam esse de feris aut latronibus, alteram vero securam, tametsi longiorem aut difficiliorem, nonne istam eligis? Jam vero via mundi voluptatis et vitiorum ad minimum tibi suspecta esse debet; via vero virtutis licet sit asperior, secura tamen est ab æterna damnatione, (quis enim unquam timuit damnari ob virtutem?) Cur ergo in hoc bivio non idipsum agis? Cur non tenes certum et dimittis incertum? Porro si hoc dubium foret de re exigua, non multum interesset; sed quia est de bono et malo, summo

et æterno, summe ponderandum est. Hoc dilemmate conversum nuper polijicum quemdam scribit Corn. a Lap. in c. V. Amos, videlicet: Vel est numen et vindex Deus post hanc vitam, vel non est. Si non est, attamen si id credidero, non mihi nocebit, imo proderit, inducet enim me ad vitam honestam et homine dignam: si est, et ego illud non credidero, imo negavero, quas ejus iras, quæ tormenta ab eo ob hanc perfidiam et blasphemiam expectare me oportet? Rursum: Vel sunt præmia honorum et supplicia malorum, uti ipsa ratio dicit, post hanc vitam, vel non sunt. Si non sunt, ea tamen credere, sperare et timere non oberit; imo proderit ad omnem virtutem: si sunt, et ego ea non credens, scelerate vixerim, utique damnabor. Quantum igitur præstat ea credere quam non credere? Ergo aperiamus oculos, auditores, et spretis mundi ac diaboli mercibus, comparemus merces Christi cælestes, etc.

CONCIO III.

CUR PERMITTIT DEUS MULTOTIES DÆMONES GRASSARI IN HOMINES.

I. Ad Dei gloriam: 1. Claret hinc Dei bonitas. 2. Dei sapientia. 3. Dei potentia. 4. Justitia Dei. — II. Ad hominum utilitatem: 1. Hinc probamur. 2. Hinc perficimur. 3. Hinc instruimur. 4. Hinc fides confirmatur. — III. De vindicta: 1. In contumaces. 2. In duros et immisericordes. 3. In libidinosos. 4. In odium proximi. 5. In oppressores justorum. 6. In desperatos.

THEMA.

Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi. Luc. XI.

Mirum videri potest, unde tanta dæmoni sit potestas, ut hominem subintret et ab eo expulsum, iterum redeat fortior quam ante, cum septem aliis spiritibus se nequioribus, et ingressus habitet in eo, imo et cruciet eum. In qua enim potestate facit hoc dæmon, et quis ei dedit hanc potestatem? Ecce imprimis non alligatur suis carceribus, ut egredi ad homines nequeat? Vel si egredi ei datur, cur non prohibetur intrare ipsosmet homines? Aut cur non saltem arcetur a Christianis? Quid quod etiam obsessos vehementissime affligit, et sæpe non reprobos tantum, sed etiam bonos infestat, plurimaque illis damna infert in anima, corpore, fortuna, quemadmodum patet in hodierno evangelio? Sane de hac magna dæmonis libertate conqueri possumus cum Davide, Psalmo LXXIII. dicente: *Leva manus*

tuas in superbias eorum. Quanta malignatus est inimicus in sancto? Dicit enim apostolus, corpora Christianorum templa esse Spiritus sancti, siquidem in baptismo initiata a Deo consecrata sunt, et multoties invocatum est nomen Dei super illos. Quod igitur causæ est, cur hoc illi a Deo permittatur, ut in humanis corporibus Deo dedicatis domicilium sibi usurpet, et multa maligna faciat? Audiamus.

Hujus divinæ permissionis triplex potissimum causa est: Dei gloria, hominum utilitas, peccati vindicta.

I. Dei gloria hinc augetur in nobis, quia per hoc gloriosa Dei attributa nobis manifestantur. Et primo, Dei bonitas et clementia, tum quia cohibet dæmonem, ne quantum vult et potest, noceat: si enim quantum cupit et potest, nocere permetteretur, nemo illæsus esset, imo nemo non ab illo perimeretur. Sic maris furorem naturalem ita terminis suis inclusit, ut eos egredi et hominibus nocere non possit: sic Nabuchodonosori circulum in naribus posuit, ut non quantum poterat et cupiebat, noceret Hebræis. Atque ita scimus nos habere capitalem hostem (quem tamen Deus coerceat) quod alias nesciremus. Tum quia etiam illos ad pœnitentiam recipit et gratiam, qui se pactis conventis et data syngrapha dæmoni manciparunt, ejus exemplum non unum habemus: quod profecto summam Dei ostendit clementiam et in abundantiam dilecto superabundantem gratiam.

Secundo, Dei sapientia, tum quia cum Deus diabolum uti sinat naturalibus viribus suis; efficit tamen ut pater iste superborum ab imbecillis sæpe et rudibus homunculis, qui quæ Dei sunt sapiunt, superetur, et ad sordidissima quæque abjectissimaque ferenda et facienda, vel patienda compellatur, qui solum super aquilonem conatus est sibi constituere. Olim siquidem ab acolythis ordinarie expellebatur, et sæpe abjectissima quæque subire cogebatur a viris sanctis, uti culinæ servitium infimum peragere et in sordidissimo culinæ angulo se continere a quibusdam monachis, apud Maiol. in canic. tom. II. coll. de sagis. S. Canon Isauricus tantam in dæmones potestatem habuit, ut aliis agros committeret et frugum custodes poneret, alios tectis obsignatis inclusos in ædis suæ ædificandæ fundamentum defoderet, apud Rad. in virid. ss. p. 1. Tum quia Deus, dum hoc pacto unius peccatum punit, alterius bonum procurat, sicut refert Cæsarius, l. V. cap. XXVI. de puella quinquenni et innocente, cui pulcem comedenti pater ira percitus dicebat: *Velim comedas diabolum,* sensit puella statim dæmonis ingressum, a quo

ad maturam usque ætatem vexata est, donec Romam, anno 1222. ad apostolorum limina veniens, liberata est. In cujus egressu dæmon fasus est, nullum aliud huic puellæ superesse purgatorium, quam quod ab ipso pertulit. Ad hæc alii sibi cavent, dum aliquos vident a dæmone sic tractari.

Tertio, Dei potentia, tum quia quando permittit dæmoni majora facere (uti Exod. VIII. ranas producere) non permittit tamen ei minora facere, uti cinipes: (quod nequiverunt magi Pharaonis) qua re ostenditur dæmonem Deo prorsus esse subjectum veluti lictorem et sine illius nutu nec culicem quidem posse efficere. Permittit itaque dæmones quandoque insolescere et in homines sævire, ut tanto gloriosior appareat Dei virtus et sanctorum victoria, qui facile eos compescunt. Et quemadmodum Dei potentia eluxit in Goliatho, quando is uno lapidis jactu prostratus est, sic etiam in dæmonibus, qui minutissimis rebus fugantur, uti signo crucis, aqua lustrali, particulis reliquiarum, agno Dei, etc. Tum quia per sanctos suos cogit sæpissime eos facere quæ nolunt. Sic S. Narcissus Augustæ dæmonem expellens, cum is peteret ablegari in vivum aliquod animal, ea id lege concessit, ut illud enecaret, quo spondente, jussit ut ingentem aliquem draconem Alpes Julias infestantem et vicinos habitatores inficientem enecaret; cui nolens volens debuit vitam eripere magnopere interim queritans, se propterea principi suo pœnas daturum, in vita S. Afræ, apud Surium, 5. aug.

Quarto, justitia, quia sic delicta hominum etiam in hac vita sæpe apte puniuntur, ut videbimus; tum quia sic diabolo non aufert libertatem arbitrii, quæ naturaliter ei competit.

II. Hominum utilitas hinc procuratur primo, quia sic cuivis palam fit, num Deum diligat necne. Tunc enim qui Deum non diligunt, ad vetitas artes confugiunt; qui vero Deum amant, se divinæ voluntati et præsidio permittunt. Veri enim Dei filii in ejusmodi tribulationibus recurrunt ad Deum Israel: spurii vero ad Deum Accaron, ad ariolos et maleficos, pro remediis impetrandis.

Secundo, quia sic afflicti ad quærenda spiritualia remedia, velut ad sedulum sacramentorum usum, ad sanctorum cultum et invocationem, et frequentem orationem instigantur, necnon in virtutibus perficiuntur; nam alii ad pœnitentiam revocantur, quemadmodum contigit Juliano, ut cum fraude diaboli utrumque parentem occidisset, hæc illi ad meliorem vitam occasio fuerit, et ipse post diuturnam pœnitentiam in sanctissimum virum evaserit: alii ad

patientiam exercentur, uti Sanctus Job, qui si ab ipsomet Deo fuisset immediate castigatus, dæmon ipsius patientiæ fidem non adhibuisset. Unde ergo lorica quæ venditur alteri conceditur pugione vel sclopeto pertentanda, sic dæmoni datus est Sanctus Job: alii humilitatem discunt, ut eremita quidam apud Severum Sulpitium, lib. I. c. XIV.

Tertio, quia sic homines instruuntur. Primo, ut intelligant, quod in homine spiritualiter operetur dæmon; sicque ad ejus odium et fugam incitentur. Ut enim bestiam, cujus venenum non novimus, non fugimus; et morbo, qui nullo indicio deprehenditur, remedium non adhibetur, ideoque infirmus perit: sic nisi dæmonem cognosceremus, ab eo non fugeremus et infernum parum timeremus. Jam vero si dæmon obsessos, alios reddidit lunaticos, ut Matth. XVII. alios in monumentis compellit habitare, ut Matth. VIII. et si in hodierno evangelio reddidit hominem mutum, et secundum Matthæum cæcum quoque et surdum, inde colligi potest, quod hæc damna multo magis inferat animæ, cui longe magis insidiatur quam corpori. Ipse igitur reddit peccatorem luna mutabiliorem, ipse facit eum requiescere in fœtido conscientiæ suæ sepulcro, ipse reddit eum mutum in confessione, cæcum ne videat animæ suæ periculum, peccatorum suorum horrorem, inferni cruciatum, surdum ne audiat conciones et salutaria consilia, quæ vel singula longe magis timenda sunt, quam omnia damna corporalia. Secundo, ut, quibus ille modis vexat in inferno damnatos, cognoscamus, ubi is plenum habet in eos dominium et totum odium suum omneque virus depromit. Quis vero non vidit, vel saltem audivit aliquando, quam torqueat obsessos? Certe lunaticum illum, Matth. IX. crebro elidebat in terram, volutabat spumantem, in ignem et aquam mittebat, ut eum perderet, et multum discerpebat eum. Quod si ergo tam dira exerceat hic in homines non suos, quid molietur ibi in suos? Et si in viridi ligno tam crudelia facit, quid faciet in arido? In memoriam revocate quid fecerit S. Job, in cujus tamen animam potestatem nullam habebat. Annon intra horam unam omnes ejus facultates perdidit? Nonne quatuor nuntii prioribus; adhuc loquentibus supervenerunt singulas ei clades denuntiantes? Quid igitur faciet ibi per omnem æternitatem? Præcipit nimirum eos modo in aquas nivium, modo in calorem nimium, ut dicitur Job, c. XXIV.

Quarto, quia hinc fides catholica confirmatur primo, quia dum in Jesu Christi nomine ejiciuntur, hujus sancti nominis stabilitur fides, ut monet Cyprianus adversus Demetrianum, et Lactantius con-

tra gentiles. Secundo, quia hinc convincuntur athei et infideles, qui spiritus et angelos esse negant: convincuntur, inquam, quia obsessi sæpe variis linguis loquuntur, quas nunquam didicerunt, et multare velant, quæ vera esse deprehenduntur, et tamen ab ipsismet obsessis sciri non possent: multa etiam supra vires corporis perpetrant. Idcirco, quia, Christo in terris versante, tales erant Sadducæi, qui spiritus negabant, frequentior trium annorum spatio fit mentio de energumenis, quam toto veteri testamento: et quia in Ecclesia primitiva similis fuit error Peripateticorum, idcirco tam multi, tunc a dæmonibus obsessi et erepti, ut testatur Tertullianus, in apolo. et l. ad Scapulam, et Cyprianus, adversus Demetrianum: et quia hoc tempore friget in hominibus fides et timor Dei, idcirco forte, tanta sagarum agmina passim deprehenduntur et comburuntur. Tertio, quia hinc confunduntur nostri temporis hæretici, cum videamus damna per magos et sagas dæmonum fraude data per eorum pastores et præcones nulla via prorsus arceri. Siquidem illi contra dæmones non plus possunt, quam septem illi Judæi, filii Scevæ, Actor. X. qui cum instar simiarum Paulum imitari et ejicere conarentur spiritus malignos, respondit spiritus nequam: « Jesum novi et Paulum scio; vos autem qui estis? Et insiliens homo, in quo erat dæmonium, in eos, et dominatus amborum invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa; idque notum factum est omnibus Judæis et gentibus, quæ habitabant Ephesi, » ut dicitur ibi. Et nonne eodem modo dæmon Lutherum in summas augustias et alvi profluvium adegit Wittebergæ? Testatur id oculatus testis Staphylus, in absol. resp. contra Smidelinum, qui idcirco perfidia Lutheri deserta ad catholicos se recepit. Nonne sic anno 1582. Birgellis dæmon parochum Lutheranum contempsit, quem Franciscanus facile ejecit? Testatur id Tilm. Brendebachius, lib. VII. collat. cap. XLIII. Nonne paulo ante Augustæ Vindelicorum, anno 1563. doctor Simon Seeidenbard pastor catholicus energumenam liberavit, Annam nomine textoris filiam, quod frustra suis exorcismis et verbo Dei plures ministri Augustanæ confessionis fuerant conati? Testatur idem ibid. cap. XLII. Nonne dæmon ex ore Laodunensis energumene, Calvinianos irridens; nihil sibi illis timendum clamabat cunctis audientibus (anno 1566.) quoniam amici essent et fœderati? Res est toti Picardiæ notior quam ut negari possit, ut refert Delrius, in disquis. mag. l. III. p. I. quæst. VII. s. I. ex probatis auctoribus. Sane ad funus Lutheri dæmones in Geila Brabantiae obsessis omnibus de-

sertis advolarunt. Similiter ad iconomachiam Goesiorum in Belgio tum Geilæ tum Amstelodami obsessis ad tempus relictis, Goësiis adfuerunt, ut refert Creidenbachius ex Lindano. Ipsi vicissim Calviniani grati animi ostendendi causa passim in templis omnes exturbarunt imagines præterquam cacodæmonum, quas solas reliquerunt: necnon diaboli imaginem pro vexillo gestaverunt, iisdem attestantibus.

III. Justa Dei vindicta per hoc exercetur, quod fit ordinariæ. Et quidem interdum sic punit Deus peccata aliena, sed rarius. Ut plurimum autem punit per dæmonem peccata propria, et præsertim ista: primo, contumaciam ex superbia nascentem, qua quis obedire, quibus jure debet, renuit, ut filii parentibus recalcitrantes, cujusmodi exemplum scribit S. Augustinus testis oculatus de decem fratribus in matrem injuriis, et a matre devotis, tremore membrorum correptis, l. XXII. de civit. cap. VIII. et simile Joann. archipresbyter, in vita S. Zenonis, apud Sur. nimirum ita imprecatus est illis Sapiens, Proverb. XXX. *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ*, id est, suspendatur, vel anagogice, fiat præda corvorum et aquilarum infernalium. Idque non injuria; qui enim parentum non recipit disciplinam, tradi meretur disciplinæ carnificum, quales etiam dæmones. Quo refertur apostasia a fide, et agnitæ veritatis impugnatio: siquidem hæc etiam sunt contra obedientiam s. matri Ecclesiæ debitam, quod itidem exemplis demonstrat Martinus Delrius, in disquisition.

Item sacrorum mysteriorum irrisio, abusus quoque et contemptus sacrarum cæremoniarum, necnon templorum et sacrarum rerum directio, de quibus alibi referentur historiæ.

Secundo, duritia et immisericordia erga pauperes. Confitentur enim sagæ nihil maleficii posse illis inferri, qui eleemosynis vacant. Notatum etiam a quodam, ait Delrius, sagas (quibus a Satana semper nocendi necessitas imposita est) si desint, quos ulciscantur inimici, eleemosynam mendicare: et si quis facultate præditus ad erogandum, et sagas esse nescius, denegarit, hunc in magno versari periculo. Sic Pictavii, anno 1567. duo magi confessi sunt se quadam die squalidos egentesque stipem ante fores prædicitis patrisfamilias postulasse: ea recusata, injeicisse sortem et domesticos omnes in rabiem actos obiisse furiosos. Refertur lib. III. demonoman. cap. XXV. Ratio, quia Ecclesiasticus, cap. X. ait avarum habere vana animam suam: quasi videlicet pro pecunia eam daturus

esset. Nihil mirum ergo si quandoque illius emptor sit diabolus.

Tertio, libido, necnon conjugalis intemperantia. Idcirco Asmodæo licuit septem sponso Saræ interficere, Tob. VI. ideo Corinthius incestuosus Satanæ traditus ab apostolo, I. Corinth. V. ideo apud Prosperum, l. de dimid. temp. cap. VI. juvenula Araba natione, ancillæ Dei habitum gestans cum in balneo lavans simulacrum quoddam Veneris impudice respiceret et seipsam, eique se consimilaret, statim diabolus guttur ipsius occupans, per septuaginta fere dies totidemque noctes jejunam prorsus tenuit, donec applicatione calicis consecrati ad guttur puellæ per sacerdotem expulsus est. Nimirum mundo cordi promissa est Dei visio, impuro autem cordi dæmonis debetur aspectus et consortium. Ad hæc obscenitate hominum valde delectatur dæmon et maleficæ omnes Veneris mancipia sunt, nec inter eas ulla virgo permanet. Quod ad conjugium attinet: *Ostendam tibi*, inquit Raphael ad Tobiam, Tob. VI. *qui sunt, quibus prevalere potest dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus.* Quoniam ergo isli Deum a domicilio cordis sui excludunt, facile subintrat dæmon, quia vacuum reperit. Unde de immundo spiritu, de quo in hodierno evangelio audivimus, Matthæus, capite XLII. scribit, quod revertens in domum de qua exierat, invenerit eam vacantem, et tunc assumpserit septem alios spiritus nequiores se et habitavit ibi. Vacantem invenit domum, cum Dei gratia vacuum et spureitiis plenam.

Quarto, odium proximi et invidia. Ut enim charitas metatrix est Dei, domicilium præparans Spiritui sancto: sic odium et invidia charitati contraria domum instruit diabolo et in eam introducit. Odium et invidia vitium est diabolicum, quid mirum ergo si pares cum paribus facile congregantur?

Quinto, justorum virorum afflictio et cædes injusta et crudelis. Sic Boleslaus impius rex ob necem S. Stanislai, anathemate ictus, amens factus, a propriis canibus est devoratus, apud Surium, in vita S. Stanislai, 8. maii. Sic peremptorum S. Kiliani et sociorum alter a dæmone arreptus, igne se consumi clamabat et propriis dentibus seipsum dilanians vitam finit: alter in rabiem versus gladio se petiit. Geyla ducissa, quæ sicarios martyribus immiserat, et ipsa crudeliter usta et cruciata, ut a multis vix teneri posset, miseram expuit animam, apud Surium, 8. julii. Item calumnia et ma-

ledictio in sanctos effusa, ut in histor. D. Gregorii Agrigent. apud Surium, mense novembri, et in hist. S. Malachiæ, apud S. Bernard.

Rursum execratio seu imprecatio mala: vide exempla apud Delrium, loco citato. Unum accipe ex Cantipratensi. « Cum tres, inquit, combibones in taberna mero incaluisent, orto de animæ immortalitate et pœnis inferni sermone, unus procacior id totum pro nugis habere et commentis sacrificiorum; cæteri jocanti applaudere. Interea advenit unus, magna vir statura et vasto corpore, et assidens: Qui hi, ait, sermones? Quæ risus causæ? Refert procax ille et addit, se quidem licitanti haud magno pretio animam venditurum, quin et pecuniam in symbolum collaturum: Tu vero insit adventor, quanti illam mihi indicas? Nec mora, conveniunt de pretio, hic animam addicit emptori, emptor solvit: potatur strenue de præsentate pecunia. Denique, sub noctem: Tempus, ait emptor, ut ad propria quisque. Sed vos jus dicite: Si quis equum capistro ligatum emerit, nonne jus ei cum capistro equum abducendi? Et cum dicto venditorem trementem in omnium oculis abripit, et sursum in aera levat, et secum ad infernum trahit, visurum quod credere noluerat. » Sic ille, lib. II. cap. LV. p. V. vir fide dignissimus ex ordine S. Dominici.

Item blasphemia, propter quam apostolus Alexandrum et Hymenæum dæmoni torquendos permisit, I. Tim. I.

Sexto, pusillanimitas et desperatio, cum mœrore oppressi a Deo vel non petunt auxilium, vel se e malis eripiendos diffidunt: qua de causa multi se dæmoni ut auxiliatori subiciunt. Ad istos siquidem decipiendos facile sibi dæmon aditum parat. Sunt enim consilii inopes et novarum rerum studiosi, animo item perturbato, qui facile decipiuntur.

Deinde, veniales etiam quandoque culpæ, uti apud Cassianum, collat. II. cap. XIII. D. Greg. lib. I. dial. cap. IV. partim ut eas hoc pacto diluant, partim ut sanctis viris sua liberatione famam augeant, partim ut ab omni delicto sive magno sive parvo fugiendum semper intelligamus.

Habemus itaque cur Deus non cohibeat omnino dæmones ab infestatione hominum. Itaque omnia bene fecit. Sufficit nobis quod præter ejus voluntatem nocere nobis nequeant, quod vel ex eo ostendit S. Augustinus, lib. II. contra advers. leg. cap. ult. quia nec in porcos ingredi poterunt nisi obtenta a Christo potestate. Sufficit nobis quod in anima contra voluntatem nostram

nihil omnino possint. Hæc ergo solum caveamus, et dicamus cum Davide, Psal. CXVII. *Domine mihi adjutor et ego despiciam inimicos meos.*

CONCIO IV.

REMEDIA ADVERSUS MALEFICIA ET DÆMONUM INFESTATIONES.

I. Fides viva. — II. Opera satisfactoria. — III. Invocatio nominis Jesu et Deiparæ. — IV. Signaculum sanctæ crucis. — V. Sanctorum reliquiæ. — VI. Sacramentorum usus. — VII. Sacramentalia.

THEMA.

Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Luc. XI.

Tametsi aliæ causæ a doctis afferuntur, quam ob rem princeps dæmoniorum, de quo in hodierno evangelio, Beelzebub vocetur, hoc est, princeps muscarum: ego vero propterea rectissime sic vocari arbitror, quod dæmones, quorum princeps Beelzebub, muscis sint simillimi. Primo quidem, quia uti muscæ in aere volitantes perpetuo infestant pecora et homines, stantes, ambulantes, vigilantes, dormientes, et quidem magno numero: sic etiam aerei dæmones perpetuo nobis insidiantur et ingenti numero, ubicumque locorum simus. Secundo, quia uti muscæ admodum importunæ sunt, et abactæ statim redeunt, ita etiam dæmones; unde quidam in hodierno evangelio: *Revertar in domum meam*, inquit. Tertio, quia sicut muscæ sunt animalcula impudentissima, nec tantum in faciem hominum involant, sed et in os et oculos; ita etiam dæmones, absque omni pudore turpissima et horrendissima quæque exigere ab hominibus minime erubescunt; veluti perpetuam subjectionem Christi et sanctorum abnegationem, imo adorationem sui, quod ab ipso Christo exegit tentator, et similia. Denique, quia uti muscæ, infirmum pecus, facillime abiguntur, flagello tenuissimo, neque ensis aut fustis necessarius; ita etiam dæmones facillimis modis a Christianis abiguntur, solo nomine Dei, signo crucis, aqua benedicta, etc. Quo sensu accipere possumus illud Domini: *In digito Dei ejicio dæmonia*, hoc est, in minima Dei virtute. Quare ut has muscas a nobis abigamus, tradere vobis flagella aliquot institui, ut videbimus.

I. Vera et viva fides, charitate nimirum Dei et proximi suffulta. Hanc apostolus suadet Ephesis, cap. VI. dicens: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea*

extinguere. Hanc discipulis suis commendat S. Antonius: *Magna, inquit, dilectissimi adversus dæmonem arma sunt vita sincera, et intemerata in Deum fides.* Sic Cypriano mago, conanti suis veneficiis Justinam virginem christianam in amorem juvenis alicujus pellicere, respondit dæmon, se Christi fide munitis nocere non posse, Nazianz. orat. in Cypr. Unde hic postea conversus fidem suscepit et martyr factus est. In B. Ambrosium Justina Augusta maleficum quemdam nomine Innocentium immisit, qui postea palam fassus est se delegasse dæmones, qui Ambrosium interficerent, sed ne ad fores quidem domus ejus accedere potuisse eo quod ignis insuperabilis omne id ædificium communiret, a quo vel procul etiam urerentur, Paulinus, in vita Ambrosii. De talibus enim proprie scriptum est: *Quoniam angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, etc. Super aspidem et basiliscum ambulabis, etc.* Sequitur causa: *Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, ut patet in S. Ambrosii ædibus flamma velut muro cinctis, etc.* ut sic impleretur id Zach. II. *Et ero ei dicit Dominus, murus ignis in circuitu.* Refert etiam Cassianus, collat. VIII. cap. XVIII. philosophos duos magicis artibus dæmones immisisse in cellam D. Antonii ad eum exturbandum de monasterio, sed ne ad punctum quidem id potuisse, licet alii et alii nequiores prioribus submissi essent. « Quo experimento probavit et definivit beatus Antonius, (Cassianus, capite XIX. ibidem,) nullatenus dæmonem posse mentem cujusquam vel corpus invadere, nec habere facultatem in cujuslibet animam irruendi, nisi eam primo destituerit omnibus cogitationibus sanctis ac spirituali contemplatione vacuum nudamque reddiderit. » Quæ sententia optime congruit cum dominica illa in hodierno evangelio: *Veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. Tunc dicit: Revertar in domum meam, etc.* Vacantem intellige a bonis cogitationibus et operibus.

II. Opera satisfactoria, oratio, jejunium, eleemosyna. Quæ videtur mihi significare voluisse Raphael per piscis cor, fel et jecur, cum præcepit ea Tobie asservanda pro remedio; cor quidem et jecur ad dæmonis effugationem, fel ad oculos illuminandos, Tobie VI. Cor orationem, fel jejunium, jecur quod cibum omnibus membris partitur, eleemosynam representat. Unde horum explicationem videtur postea tradidisse cum dixit: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna*, Tobie XII. Testis expertus Sanctus Antonius, qui discipulis dicebat: « Mihi credite,